



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. Politia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Omnes erant bellicosissimi; eorumque fortitudinem Romani probauere, atque demirati sunt.

Apud *Athamanes* vxores colebant agros, dum viri oues & boves pascere; *Heraclides*.

Acarnanes nutriebant comam & fundâ peritissimè utebantur. Item optimi erant Pancratiastæ, & eorum primus imagine donatus est Polycles, operâ Lisippi, vt scribit *Pausanias*.

N V M. 6. *Politia*.

REGES Epiri ab Æaco, Rege Insulæ Æginæ, se prognatos gloriantur. Eorum primus memoratur Pyrrhus Achillis filius, cum regnum patrum perdidisset, dum distinctur Troiano bello. Aliquam tamen eius partem concessit Heleno filio Priami vnâ cum Andromache Hectoris vxore, videlicet Chaoniam prouinciam. Heleno successit filius Molossus in parte regni, quæ ab eo Molossis, aut Molossia nuncupata est. Eo sine liberis mortuo regnum occupauit Piales, vnde Reges Epiri propagati sunt. Famosi sunt Arymbas qui Athenis nutritus est, & eius filius Neoptolemus pater Olympiadis, & Alexandri primogeniti, qui in Italiâ cecidit: at eius secundogenitus Æacides Pyrrhi pater fuit, cuius operâ Epirotarum gloria viguit. Tandem Macedonia regno Regnum Epiri vnitum est, quo deleto Romanis cecidit. Nihilominus exinde memoratur Rex in Athamaniâ, qui à præfectis Philippi eiectus fuit. Quomodo autem Romanis ceciderit, & eorum auaritiæ patuerit, diximus in *qualitate* Epiri, vbi de eius diuitiis egimus.

§. 4. *Thracia*.

N V M E R V S I. *Nomen*.

Dicta est Thracia teste *Stephano* à Nymphâ Titanis filiâ, ex quâ Saturnus Dolongum filium suscepit. Hanc incantatricem fuisse ex *Arriano* docet *Eustathius*.

Antea vocabatur PERCA & ARIA, vt vult idem *Stephanus*; vt *Suidas* ODRYSE. CRESTONA apud *Lycophronem* vt censet *Tzetzes*; SCYTHON vt *Erithræus*, vnde *Scythonis vnda* pro mari Thracio apud *Quidium* legitur. De variis incolarum nominibus